



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Conventvi S. Salvatoris de Tilesio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

sona propria laborabunt, de Dei & Apostolorum ejus Petri & Pauli auctoritate confisi, plenam peccatorum suorum, de quibus cordis & oris egerint penitentiam, veniam indulgemus. Ceteros vero qui ad opus hujusmodi exequendum aliqua de bonis suis fortè contulerint, juxta muneris quantitatem, & præcipuè juxta devotionis affectum, remissionis hujus participes esse censemus. Sciat autem se culpabiliter durum, & durè culpabilem, qui monitis apostolicis in opere tam pio & necessario neglexerit acquiescere, cum Apostolorum moneamur exemplis ut collectas pro fratribus & indigentibus, maximè laborantibus in Hierusalem, faciamus. Cum ergo vos ad proponendum verbum Domini populo Siciliae, de providentia & religione vestra confisi, duxerimus deputandos, discretionem vestram rogamus, moneamus, & exhortamur in Domino, & in remissionem vobis injungimus peccatorum, quatenus circumcunctes civitates, oppida, & castella, tam cives, quam nobiles, & universum populum Siciliae salubribus monitis & exhortatione assidua inducatis ut opponant se murum pro domo Domini accendentibus ex adverso & (sicut dictum est) supradictæ orientali terræ studeant subvenire. Taliter autem sollicitudinis vestræ prudentia his exequendis insistat ut zelum Domini vos habere in instanti necessitatis articulo comprobemus, & ad dilectionem vestram tanto amplius provocemur, quanto ad liberationem terræ illius ardentius aspiramus. Confidimus enim quòd si cum Petro rete prædicationis vestræ laxaveritis in verbo Dei, non tam copiosam multitudinem piscium quam utilem & necessariam, & per quam pater misericordiarum & Deus totius consolationis finem imponet super hoc laboribus Ecclesiæ, concludetis. Datum Romæ &c.

In eundem serè modum omnibus per Apuliam, Calabriam, Thusciam, & constitutis.

**CONVENTVI S. SALVATORIS
de Tuleso.**

CAusam quæ inter P. quondam Abbatem vestrum ex una parte & vos ex altera verrebatur, venerabilibus fratribus nostris Beneventano Archiepiscopo, Episcopo Telesino, & dilecto filio

Priori S. Andreae recolimus commississe. Sed ipso Episcopo propter ægritudinem excusato, & dicto Archiepiscopo vices suas, propter emergentia negotia, dilecto filio Beneventano Primicerio committente, cum præfatus Prior & Primicerius controversiam vellent servato juris ordine pertractare, tandem, sicut accepimus, factum est de consensu partium quòd Abbas sponte renuntiaverit abbatiæ, & si placeret nobis, in uno casali sibi monachi providerent. Nos ergo attendentes quòd cuilibet licet renuntiare his quæ pro se introducta sunt, ratam resignationem ejus habentes, & eligendi vobis pastorem facultatem liberam tribuentes, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus servantes unitatem spiritus in vinculo pacis, vel de ipsius monasterij gremio, si quispiam ibi ad hoc reperitur idoneus, vel de alio etiam monasterio, secundum regularem observantiam talem personam studeatis eligere in Abbatem, quæ afflictio monasterio præesse valeat & prodesse: quem, cum electus canonicè fuerit, cum monachorum numero competenti nostro conspectui præsentetis, benedictionem recepturum à nobis, si vestris votis duxerimus annuendum. Si verò secus agere præsumperitis, & electum & electores confusos ad vos remittemus, & nos ipsi per alios faciemus indemnitati monasterij provideri. Datum Romæ apud S. Petrum V. Non. Julij.

**EPISCOPO ET CAPITULO
Lemovicen.**

NEC novum debetis nec absolum reputare, si de illorum sumus provisione solliciti, qui apud sedem apostolicam pro suis vel suorum dominorum negociis constituti, nostram & fratrum nostrorum gratiam conversatione laudabili meruerunt. Tanta est enim apostolicæ sedis benignitas ut accedentes ad se fratrum & coepiscoporum nostrorum nuncios benignè recipiat, & laborem eorum qui apud eam longo tempore commorantur, in beneficio vel aliis quæ dignè postulaverint, recompenset. Inde est quòd cum dilectus filius noster Magister Petrus Chalboini, venerabilis fratris nostri Walteri Rothomagensis Archiepiscopi Clericus, ex diutina mora quam apud nos fecit, suæ prohibitatis

X iij

*Epist. 304.
Vt quendam
M. Petrum in
Canonicum recipiant.*

*Epist. 303.
De electione
digni & utilis
Abbatis.*